



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

XI. V. liceat reuelare Confessionem, cùm celatio ipsius cedit in damnum animae ipsius Confessarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

Caput VII. De Secreto seu Sigillo

nem malefactoris quam audiuit, illum esse innocentem, posseque eum facillimè detecta Confessione liberare, neutiquam illi fas est, quamuis ipse, qui in supplicium rapitur, esset idē Sacerdos, qui illa se posset via protegere,

Quaestio X. Potēstne reuelari Confessio, cū celatio ipsius in damnum corporis vel animæ confitentis cedit?

Respōsio. Quoniam pro saluanda tota Repub. non est licitum reuelare Cōfessionem, à fortiori, non erit licitum eam reuelare pro saluanda vita vnius hominis, siue corporali siue spiritali.

Quaestio XI. An non licet reuelare Confessionem, cū celatio ipsius cedit in damnum animæ ipsius Confessoris?

Respōsio. EXEMPLO dato, quaestio illa illustrabitur. Est aliquis Confessor in testem productus, & à Iudice suo iureiurando astrictus ut respondeat ad ea, super quibus fuerit interrogatus &c. quo iurante, interrogat eum Iudex super casu quodā, quem tamen per solā Confessionem scit ipse Cōfessor; tunc tenetur respondere, quia iurauit, & non potest deponere falsitatem, quia peccaret mortaliter: Igitur debet deponere veritatem; hanc autem non potest deponere, nisi reuelando Confessionem: Vnde consequi videtur, quòd eam

eam reuelare debeat, cum aliàs celatio ipsius, ipsi Confessori, quia scilicet periurus esset, & in detrimentum animæ cæderet.

Verùm facillè hæc diluentur, & qui he-
dupliciter.

PRIMO, talis Sacerdos potest iurare, se nil de casu illo scire, cum illū sciat vt DEVS, & non vt homo: Nam in audiendo Confessionem tenet vicem DEI. Poterit igitur sine mēdacio in foro hominū dicere se nescire id, quod in persona alterius aliū qui scit; sicut econtrā potest aliquis in persona alterius aliquid de se affirmare, quod in persona propria loquens falsè affirmaretur; vt quando Angelus ad Moysen loquēs, dicebat in per-
sona DEI: Ego sum Dominus DEVS tuus. Et iterum: Ego sum DEVS Patris tui Abraham, Isaac, & Iacob. Quæ constat ab Angelo esse dicta; sed in persona DEI, vt dixit Stephanus, & habetur in Actibus Apostolorū, & Paulus in Epistola ad Hebræos.

Exod. 3.

Act. 7.
Hebr. 2.

SECUNDO, Confessarius in tali casu dicere potest se nihil scire, idq; sine mēdacio; quia illa verba admittunt hunc sensum, scilicet, nil scio, super hoc ad reuelandum vobis, pro vt Augustinus interpretatur, quod Christus de seipso dixit, scilicet: Filius nescit diem iudicij, scilicet, ad reuelandum hominibus.

Marc. 13.

Aut sic interpretatur, scilicet, Nihil scio de hoc, super quo intendis me rogare. Et

re. Et

Caput VII. De Secreto seu Sigillo

re. Et verè respondet sicut debet, quia debet responderi ad mentem interrogantis; mens autem interrogantis hæc debet esse, scilicet, quæ querere de his, quæ in foro illo tractanda sunt, & quorum cognitio ad potestatem ipsius Iudicis pertinet. Modò autem, quæ in sola Confessione scita sunt, non sunt de his, quæ ad potestatem humani Iudicis pertinent, ut constat; quia ad illud forum non pertinent, nisi quæ aliòqui possunt in illo foro probari, & quorum testificatio, seu depositio possunt ad illud forum deferri, qualia non sunt, quæ in sola Confessione sciuntur.

Quòd, si mens Iudicis fit interrogare Sacerdotem, si sciat de casu proposito aliquid, etiam per Confessionem, iam excedit potestatem sibi concessam, & non oportet ad mentem illius, quam habet, respondere, sed ad mentem, quam debet habere.

Quæstio XII. Tenetürne Sacerdos mortem potius oppetere, quàm ut Secretum Confessionis reuelet?

Respöcio. SI tyrannus aliquis gladio ad iugulum appposito Secretum Confessionis à Sacerdote extorquere conaretur; non tamen hoc illi, etiam ad seruandam propriam vitam, detegere liceret, cum pro seruando Sacramento in Ecclesia, Sacerdotale officium, Sacerdotem obliget millies mortem oppetere. Neq; id so-